



LATIN IFJÚSÁGI FOLYÓIRAT. LATEINISCHE JUGENDZEITSCHRIFT. REVUE LATINE DE LA JEUNESSE.

Administrator, ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER  
REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 6. (tel: 142-215).

Moderator, ad quem manuscripta mittantur: I. WAGNER DR.  
Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-634).

Prodit Budapestini quotannis decies. Pretium subnotationis an. 1937-38. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Gyrus aerarii comparsorum postalibus in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde simplex pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.;

## De Byron poeta Anglico.

Cum Byron poetae annus CD celebretur, operae pretium est<sup>1</sup> vitam eius et poemata considerare. Londinii XI Kal. Feb. a. MDCCCLXXXVIII natus est. Sed infelix parentibus erat. Nam pater dissolutus erat, mater quamvis bona, tamen morosa erat nec filium suum bene educare poterat. Puer ipse, quod semper ei doloris causa erat, pedibus claudus<sup>2</sup> erat.

Per primos annos in Scotia habitabat. Colles et montes illius terrae amabat: in poematis saepe de montibus legimus. Eadem erat natura pueri ludum litterarum frequentantis ac hominis iam adulti. Nam modo otiosus, tristis, in cogitatione defixus erat, modo princeps et auctor erat consilii alicuius audacis. Septemdecim annos natus ad universitatem Cantabrigiensem<sup>3</sup> se contulit:<sup>4</sup> ibi tres annos moratus est. Per totam vitam, etiam a pueris,<sup>5</sup> moribus institutisque Graecorum et Italicorum



Byron in poemate «Childe Harold».

rum studebat. Itaque ex universitate egressus ex Anglia ad Lusitaniam,<sup>6</sup> Melitam,<sup>7</sup> Graeciam peregrinatus est. In poemati suo «Childe Harold» de locis, de picturis, de rebus gestis, de re publica Graecorum et Italicorum legimus. Cum in Graecia esset, trans Hellespontum (ut quondam noctu Leander) navit. In Angliam regressus Anabellam

quandam uxorem ducit. Sed post annum discidium<sup>8</sup> erat. Tum anno MCCCXVI, cum ipse populo Anglico invidiosus esset, ex Anglia denuo profectus est, neque unquam, nisi mortuus, rediit.

Ad Helvetiam secundum Rhenum venit. Ibi cum Shelley, poeta illo Anglico egregio, paulisper manebat. Postea dum complures annos in Italia habitat,

<sup>1</sup> nobis utile est  
<sup>2</sup> pedes eius distorti erant  
<sup>3</sup> in oppidum Cambridge  
<sup>4</sup> iit  
<sup>5</sup> ex illo tempore cum puer esset  
<sup>6</sup> hodie: Portugalia  
<sup>7</sup> Malta  
<sup>8</sup> finis matrimonii

Per.  
Lat  
020



opus suum maximum «Don Juan» scribere coeperat. In illo opere quasi apologiam<sup>9</sup> vitae suae exponit et se ut satirarum scriptorem ostendit. In alio opere «Prophecy of Dante» tyrannos insectavit. Nam semper ille hominum libertati studebat. Cum illo tempore Graeci contra Turcas libertatis causam bellum gererent, Byron ipse (a. MCCCXXIV) in Graeciam profectus, Graecos auxilio et argento adiuuabat. Tamen infirmitate corporis et vertigine affectus est. Dum per pluviam equo vehebatur, febris quoque affectus, e vita excessit XII Kal. Mai. a. MCCCXXIV.

Quid de poeta ipso et operibus dicamus? Multum vere in vita eius erat, quod reprehendere possumus, neque ille cum poeta Martiale dicere poterat: «Lasciva est nobis pagina, vita proba». Tamen duabus rebus bonitatem suam ostendit. Liberalis erat, et, quod revera mortis ei causa erat, libertatem gentis oppressae vindicabat. Multi poemata eius legerunt, multi imitati sunt: ut paucos nominem, apud Gallos Hugo et Lamartine, apud Germanos Heine, apud Russos Pushkin, apud Hungaros Petöfi et Arany.

John D. Marcantoni B. A.  
(Universitatis Londiniensis).

<sup>9</sup> defensionem



## LECTARIUS MINIMIS.

### Emerici epistola ad Guilelmum de Budapestinensibus inscriptionibus<sup>1</sup> Latinis.

Mi amice! Heri<sup>2</sup> hora quartam postmeridianam<sup>3</sup> accipiam<sup>4</sup> epistolam Tuam. Maximam ista mihi attulit laetitiam.<sup>5</sup> Ergo automobili Tu cum Patre Tuo carissimam<sup>6</sup> Vindobonam ad nos venies?! O laetissimus iste dies adventus<sup>6</sup> Tuus! Tandem<sup>7</sup> aliquando<sup>7</sup> unam<sup>8</sup> hic Budapestinam<sup>8</sup> erimus! Quam iucundi mihi, et eheu,<sup>9</sup> quam breviter erunt tres isti dies praesentiae<sup>10</sup> Tuae!

Animo<sup>11</sup> libentissimo<sup>11</sup> Tibi mitto — quas optasti — inscriptiones Latinas, quae apud nos in plateis<sup>12</sup> urbis leguntur.<sup>13</sup> Sane<sup>14</sup> quidem<sup>14</sup> longe<sup>15</sup> plurimae<sup>15</sup> inscriptionum nostrarum Hungarico sermone sunt compositae; inveniuntur<sup>16</sup> tamen hic illic in fronte publici<sup>17</sup> aedificii,<sup>17</sup> in basi<sup>18</sup> statuae,<sup>18</sup> in aditu<sup>19</sup> pontis,<sup>19</sup> in coemeterio<sup>20</sup> etiam Latinae, quarum nonnullas mihi notavi,<sup>21</sup> ut Tibi petenti satisfacere<sup>22</sup> possim.<sup>22</sup>

#### I. Inscriptiones aedificiorum:

1. **templorum**: EGO SUM VIA, VERITAS<sup>23</sup> ET VITA (inscriptio basilicae S. Stephani); SOLI<sup>24</sup>

DEO GLORIA (in fronte novissimi templi Helveticae confessionis); DISCITE A ME, QVIA MITIS<sup>25</sup> SUM ET HVMILIS<sup>26</sup> CORDE<sup>26</sup> (in Sancti Cordis aede<sup>27</sup>); MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINVM; GLORIA IN EXCELSIS DEO (in aedicula<sup>28</sup>, ubi nos missam<sup>29</sup> audimus);

2. **scholarum**: (scholae mercantilis<sup>30</sup>); NON SCOLAE, SED VITAE DISCIMVS; (inscriptio gymnasii ordinis<sup>31</sup> scholarum<sup>31</sup> piarum<sup>31</sup>); PIETATI ET SCIENTIIS;
3. **inscriptio Bibliothecae Regiae Scientiarum<sup>32</sup> Universitatis<sup>32</sup> Hungaricae**: ARTIBVS,<sup>33</sup> LITTERIS, VITAE;
4. **inscriptio praefecturae<sup>34</sup> municipalis<sup>34</sup> (nocomii<sup>35</sup> olim militaris)**: IMPERATOR CAROLVS VI. (= rex noster apostolicus Carolus III.) HANC MOLEM<sup>36</sup> CONDIDIT AD SERVANDOS MILITES SENIO,<sup>37</sup> MORBIS,<sup>38</sup> VULNERIBUS<sup>39</sup> CONFECTOS<sup>40</sup>;
5. **inscriptio palatii<sup>41</sup> Tabulae<sup>42</sup> Regiae Iudiciariae**: IVSTITIA REGNORVM FVNDAMENTVM;
6. **in Arcis porta, quae Vindobonensis Porta dicitur<sup>43</sup>**: IN MEMORIAM HEROVM<sup>44</sup> CHRISTIANORVM PRO VRBE BVDA MORTVORVM ANNO MDCLXXXVI. *Finis sequetur.*

Desiderius Dezséry Budapestinensis.

<sup>1</sup> felirat = Aufschrift = inscription    <sup>2</sup> tegnap = gestern = hier    <sup>3</sup> délután(i) = nachmittag = après-midi    <sup>4</sup> megkap = erhalten = recevoir    <sup>5</sup> öröm = Freude = joie, plaisir    <sup>6</sup> megérkezés = Ankunft = arrivée    <sup>7</sup> végre valahára = endlich doch = enfin    <sup>8</sup> együtt = miteinander = ensemble    <sup>9</sup> ó jaj = ach = hélas!    <sup>10</sup> ittlét = hiesiger Aufenthalt = présence    <sup>11</sup> készségesen = mit Vergnügen = avec plaisir    <sup>12</sup> utca = Straße = rue    <sup>13</sup> olvashatók = sind zu lesen = on lit    <sup>14</sup> természetesen = allerdings = naturellement    <sup>15</sup> a legesietöbb = die allermeisten = la plupart    <sup>16</sup> akadnak = es gibt = il s'en trouve    <sup>17</sup> középület = öffentliches Gebäude = édifice public    <sup>18</sup> szobor talapzata = das Piedestal der Statue = piédestal de statue    <sup>19</sup> hídfő = Brückenkopf = tête de pont    <sup>20</sup> temető = Friedhof = cimetière    <sup>21</sup> följegyez = notieren = noter    <sup>22</sup> eleget tud tenni (a kérésnek) = Genüge leisten = satisfaire    <sup>23</sup> igazság = Wahrheit = vérité    <sup>24</sup> egyedül(i) = einzig allein = uniquement    <sup>25</sup> szelíd = mild, sanft = doux    <sup>26</sup> alázatos szívű (szívben) = demütig = humble    <sup>27</sup> templom = Kirche = église    <sup>28</sup> kápolna = Kapelle = chapelle    <sup>29</sup> mise = die Messe = messe    <sup>30</sup> kereskedelmi = Handels = commercial    <sup>31</sup> kegyestánítórend = der Piaristenorden = ordre des piaristes    <sup>32</sup> tudományegyetem = Universität der Wissenschaften = Université    <sup>33</sup> művészet = Kunst = art    <sup>34</sup> városháza = Rathaus = Hôtel de ville    <sup>35</sup> kórház = Spital = hôpital    <sup>36</sup> hatalmas épület = gewaltiger Bau = édifice imposant    <sup>37</sup> agkor = Altersschwäche = vieillesse    <sup>38</sup> betegség = Krankheit = maladie    <sup>39</sup> seb = Wunde = blessure    <sup>40</sup> megviselt = erschöpft = accablé, épuisé    <sup>41</sup> palota = Palais = palais    <sup>42</sup> ítélőtábla = Appellationsgerichtshof = Cour d'Appel    <sup>43</sup> az a neve = heißt = s'appelle    <sup>44</sup> hős = Held = héros

## Excursio.<sup>1</sup>

Nonnulli discipulorum ad colloquium conveni-  
erunt et decreverunt die certā excursionem facere  
in propinquos montes. Mox advenit dies constituta,<sup>2</sup>  
sed tempestas nimis incerta erat: iam multo<sup>3</sup>  
mane<sup>3</sup> calor ingens, in caelo nubes atrae . . . Mala  
omina!<sup>4</sup> Timor invasit discipulos, sed unus ex eis —  
cui nomen erat Stephano — persuasit condiscipulis,  
ne excursionem in aliud tempus differrent.<sup>5</sup> Pro-  
ficiscuntur . . . Brevi tempore iam in convallibus<sup>6</sup>  
montium ibant, oblectabantur amoenitate<sup>7</sup> loco-  
rum et maximis laudibus<sup>8</sup> efferebant<sup>8</sup> prudentiam  
et consilium Stephani.

At repente intonant<sup>9</sup> poli,<sup>10</sup> crebris fulminibus  
micat aether, funditur imber . . . Ad unum omnes  
praeter<sup>11</sup> modum<sup>11</sup> madefacti<sup>12</sup> sunt. Post tempe-  
statem — ut fieri solet — condiscipuli irā Stephā-  
num accusant atque increpant:<sup>13</sup> «Omnes asini  
praeviderunt hodie tempestatem horrendam fu-  
turam esse». Quibus Stephanus aequo animo re-  
spondit: «Fieri potest, ut omnes *asini* praeviderint  
istam tempestatem, at ego — detis<sup>14</sup> mihi veniam<sup>14</sup>  
— non praevidi». Sic repudiavit verba amicorum  
argute<sup>15</sup> quidem, sed non eleganter.

*Alexius Czuppon* Miskolciensis,

<sup>1</sup> kirándulás = Ausflug = excursion <sup>2</sup> kitűzött =  
festgesetzt = fixé <sup>3</sup> korán reggel = früh morgens = de  
bon matin <sup>4</sup> előjel = Wahrzeichen = présage <sup>5</sup> el-  
halaszt = verschieben = renvoyer <sup>6</sup> völgykatlan =  
Talkessel = vallée encaissée <sup>7</sup> bájos fekvésű = reizende  
Lage = site charmant <sup>8</sup> magasztal = lobpreisen =  
entonner les louanges <sup>9</sup> megdördül = donnern, ertönen =  
se mettre à tonner <sup>10</sup> égbolt = Himmelsgewölbe =  
firmament, ciel, <sup>11</sup> szerfelett = übermäßig = outre  
mesure <sup>12</sup> megázni = naß werden = mouiller <sup>13</sup> le-  
szidni = ausschelten = gronder <sup>14</sup> megbocsát = ver-  
zeihen = pardonner <sup>15</sup> szellemesen = geistreich =  
spirituellement

## Calendis Aprilibus.

Hoc die iocorum amatores ludibrio<sup>1</sup> habere,<sup>1</sup>  
quos possunt, conantur. Locus medi<sup>2</sup> aevi<sup>2</sup> optimus  
de Philippo Bono rege Burgundiae eiusque coprea<sup>3</sup>  
aulico<sup>3</sup> narratur. Rex pridie Calendas Apriles a.  
1466 tam laetus erat, ut copreae diceret haec:  
«Cras ludibrio me habere debebis, quod nisi feceris,  
caput<sup>4</sup> tibi securi<sup>4</sup> percutietur.»<sup>4</sup> Rē verā iam ante  
meridiem coprea a lictoribus ad Philippum regem  
ductus est, qui in conclavi<sup>5</sup> atro iudicio<sup>6</sup> capitali<sup>6</sup>  
praeerat. «Coprea — dixit rex — Calendae Apriles  
iam adsunt et tu nondum me ludibrio habuisti.  
In catasta<sup>7</sup> igitur morieris. Mortis<sup>8</sup> te condemno<sup>8</sup>  
et iubeo caput tuum statim securi percuti.»

Coprea ab aulicis hominibus ad catastam ductus  
est, quos rex quoque secutus est. Mox advenit car-  
nifex,<sup>9</sup> qui manūs copreae revinxit<sup>10</sup> et cum ille  
infelix caput trunco inclinavit, cecidit . . . non  
gladio, sed tomaculo<sup>11</sup> magno. Omnium risus  
coortus est, coprea autem inanimus<sup>12</sup> in catasta  
corrui. «Terrore<sup>13</sup> percussus<sup>13</sup> de vita decessit!» —  
clamaverunt omnes et Philippus quoque territus  
et flens ad copream se proiecit. Tum autem hic  
surrexit pileumque<sup>14</sup> tinnientem<sup>14</sup> protendens:  
«Da mihi, Philippe — inquit — aliquot nummos  
aureos, nam Calendis Aprilibus tamen ego te ludibrio  
habui, non tu me!»

J. W.

<sup>1</sup> megréfál = zum besten haben = se jouer de qqn  
<sup>2</sup> középkor = Mittelalter = moyen âge <sup>3</sup> udvari bolond =  
Hofnarr = bouffon de la cour <sup>4</sup> lefejez = enthaupten =  
décapiter <sup>5</sup> terem = Saal = salle <sup>6</sup> véstörvényszék =  
Blutgericht = tribunal criminel <sup>7</sup> vérpad = Blut-  
gerüst = échafaud <sup>8</sup> halálra ítél = zum Tode verurteilen  
= condamner à mort <sup>9</sup> hóhér = Scharfrichter = bour-  
reau <sup>10</sup> hátrakötöz = rückwärts fesseln = lier derrière  
le dos <sup>11</sup> kolbász = Wurst = saucisson <sup>12</sup> élettelenül =  
lembos = privé de vie <sup>13</sup> ijedtében = vor Schreck = dans  
sa frayeur <sup>14</sup> csörgősapka = Schellenkappe = marotte



St. Báthory rex Poloniae, (pag. 120).

## Iocosa.

1. *Stephanus*: Si animal domesticum alitur, piscis<sup>1</sup> aurei<sup>1</sup> coloris<sup>1</sup> multo minoris stat,<sup>2</sup> quam canis. — *Paulus*: Verum est. Sed multo difficilium est aureum piscem condocere,<sup>3</sup> ut furem latro nemque depellat.

2. *Antonius*: Audistine, Bela, in clavichordio<sup>4</sup> novo a parentibus nostris sorori meae Iuliae empto teredinem<sup>5</sup> esse? — *Bela*: Heu te animal miserimum!

*Franciscus Fazekas* disc. Ujpestiensis.

3. *Petrus*: Noli me turbare! Caput mihi hodie gravissimum est. — *Paulus*: Quomodo potest grave esse, quod vacuum est?

4. *Magister*: Amatisne, pueri, scholam? — *Discipuli*: Ita est. Si schola non esset, neque ferias haberemus.

*Ludovicus Perecz* disc. Szeghalomensis.

5. Discipulus, qui calculos insufficientes<sup>6</sup> in testimonio studiorum domum apportavit, a patre suo advocatur, ut rationem<sup>7</sup> reddat<sup>7</sup> negligentiae. Permansit autem in cubiculo et cum condiscipulis<sup>8</sup> intrasset et amicum suum sub lecto iacentem perspicuus exclamasset: «Quid agis?», inter gemitum<sup>9</sup> respondit: «*Politicam defensivam ago!*»

*Eug. Ferenczy* disc. gymn. Acad. Bpest.

6. In convivio quodam dominus interrogat convivam:<sup>10</sup> «Amas Murillonem?» Ille respondet: «Potius Marascinum opto». Cui amicus secrete dicit: «Tu, Murillo non est liquor,<sup>11</sup> sed caseus!»

7. *Hugo*: «Manus tua squalidior<sup>12</sup> est, quam mea!» — *Carolus*: «At ego duplum annorum habeo!»

8. «Quid facere debemus, ut in caelum intremus?» — interrogat magister. — «Certe primum mori oportet»,<sup>13</sup> dicit discipulus.

9. Duo homines dormiunt in domo quadam. *Primus* dicit: «Petre, dormis?» — *Secundus*: «Quare interrogas?» — *Primus*: «Nam si nondum<sup>14</sup> dormis, tum velim quinque nummos petere<sup>15</sup> a te mutuos». — *Secundus*: «Tunc dormio, et id<sup>16</sup> altissime».

*Andreas Vagács* disc. eiusdem gymn.

10. Quidam homo properat<sup>17</sup> ad amicum, medicamentarium,<sup>18</sup> ut contra malum ventris medicamentum emat. «Da mihi, amice, medicamentum contra malum ventris!» — «Intra quot puncta (vulgo: minuta) pervenies domum?» — «Intra 20 minuta.» — «Ergo, ego do tibi quoddam medicamentum purgativum,<sup>19</sup> et cum domum perveneris, omnia tibi bene fient.» — Postero die amicus occurrens medicamentario: «Tu es — inquit — optimus medicamentarius, sed mathematicus pessimus!»

*Lud. Hekli* disc. eiusdem gymn.

<sup>1</sup> aranyhal = Goldfisch = poisson d'or    <sup>2</sup> kerül vmibe = es kostet = coûter    <sup>3</sup> betanít = abrichten = dresser    <sup>4</sup> zongora = Klavier = piano    <sup>5</sup> szű = Holzwurm = vers du bois, anobie    <sup>6</sup> elégtelen = ungenügend = mauvaise note    <sup>7</sup> számot adni vmiről = Rechenschaft ablegen = rendre compte    <sup>8</sup> iskolatárs = Mitschüler = camarade d'école    <sup>9</sup> sóhajtás = Seufzen = soupir    <sup>10</sup> vendég = Gast = invité    <sup>11</sup> likőr = Likör = liqueur    <sup>12</sup> pisz-

kos = schmutzig = sale    <sup>13</sup> kell = man muß = il faut    <sup>14</sup> még nem = noch nicht = pas encore    <sup>15</sup> kölcsön kér = borgen = emprunter    <sup>16</sup> mégpedig = und zwar = et même    <sup>17</sup> siet = eilen = se háter    <sup>18</sup> gyógyszerész = Apotheker = pharmacien    <sup>19</sup> hashajtószer = Abführmittel = purgatif

## Salse dicta.

1. *Aegre concoqui<sup>1</sup> potest.*<sup>1</sup> Rabelais, poeta ille clarissimus a principe Balley ad cenam invitatus est. Cum petromyzon<sup>2</sup> marinus<sup>2</sup> pulcher, cibus poetae carissimus in triclinium<sup>3</sup> latus esset et servus cum pisce poetam praeterisset, is cultro marginem patinae<sup>4</sup> argenteae pulsans<sup>5</sup> dicit: «Aegre concoqui potest». Tum princeps valetudini semper consulens<sup>6</sup> territus est et patellam<sup>7</sup> porro<sup>8</sup> portari<sup>8</sup> iussit.<sup>8</sup> At neque ceteri hospites volebant ex hoc periculoso alimento edere, itaque poeta Rabelais ultimo loco sedens integrum piscem in patina appositum accepit et totum voluptate<sup>9</sup> manifesta<sup>9</sup> comedit. Princeps mirans rogavit: «Tu illum piscem aegre concoqui posse dixisti et nunc totum consumpsisti?» Tunc Rabelais subridens<sup>10</sup> inquit: «Haud dixerim. Ego solum patinam argenteam a me pulsatam significavi,<sup>11</sup> at non piscem!» *Margaretha Mészáros* disc. Kaposváriensis.

2. *Poeta clarus Germanorum Victor Scheffel*, cum in Italia versaretur, ab amico quodam et Germania epistolam, cuius perferendae<sup>12</sup> pretium<sup>12</sup> non<sup>12</sup> soluta<sup>12</sup> erat, accepit. Epistula tantum bonam valetudinem scriptoris et aliquot inania<sup>13</sup> verba continuit. Molestae<sup>14</sup> ferens<sup>14</sup> magnum pretium mittendi, quod pro hoc vano nuntio solvendus erat, Scheffel se simili modo amicum obliviosum castigare<sup>15</sup> decrevit. Primum lapidem magnum in cista condidit et similiter sine nota<sup>16</sup> solutae<sup>16</sup> missionis<sup>16</sup> ad eum misit. Ille se donum pretiosum ab Scheffelio accepisse putans pretium<sup>17</sup> postnumerandum<sup>17</sup> libenter solvit, cistam aperuit, sed perturbatus nihil nisi lapidem vulgarem in illa invenit et scidulam<sup>18</sup> cum hac annotatione: «Nuntio tuae valetudinis bonae accepto lapis adiunctus<sup>19</sup> de corde meo cecidit».

*Ladislaua Keleti* disc. gymn. IPEA.

3. Alexander Magnus, cum quondam Apellem, pictorem notissimum Graecorum adiisset et in

<sup>1</sup> emészthető = verdaulich = à digérer    <sup>2</sup> tengeri orsóhal = Lamprete = lamproie    <sup>3</sup> ebédlő = Speisesaal = salle à manger    <sup>4</sup> tál = Schüssel = plat    <sup>5</sup> üt = schlagen = frapper    <sup>6</sup> gondol vmire = bedacht = songer à    <sup>7</sup> tálca = Platte = plateau    <sup>8</sup> tovább küldte = ließ vorübergehen = laisser passer    <sup>9</sup> szemlátomást élvezettel = mit sichtbarem Wohlgefallen = avec un plaisir manifeste    <sup>10</sup> mosolyogva = lächelnd = en souriant    <sup>11</sup> értettem = ich meinte = j'entendais    <sup>12</sup> nem volt bérmentesítve = unfrankiert war = n'était pas affranchie    <sup>13</sup> üres = leer = insignifiant    <sup>14</sup> bosszúságában . . . miatt = unwillig = agacé d'avoir dû payer    <sup>15</sup> megleckéztet = die Leviten lesen = infliger une leçon    <sup>16</sup> bélyeg = Briefmarke = timbre    <sup>17</sup> utánvételi díj = Nachnahmebetrag = remboursement    <sup>18</sup> cédula = Zettel = billet    <sup>19</sup> mellékelt = beiliegend = ci joint

pergula<sup>20</sup> illius de rebus, quas non intellexeret, locutus esset, auribus eius Apelles insurravit: <sup>21</sup> «Rex, tu quidem imperator maximus es, de rebus autem artem pingendi tractantibus aut sileas, aut suppressā<sup>22</sup> voce loquaris, ne pueri tritiores<sup>23</sup> colorum<sup>23</sup> verba tua audientes tibi irrideant!»

4. Socrates aliquando Heracliti, philosophi Graecorum clarissimi opuscula valde obscura<sup>24</sup> legebat. Cum ea iam perlegisset, curiosus<sup>25</sup> quidam iudicium eius de scriptis Heracliti audire voluit. Tunc Socrates: «Partes, quas mente percepi,<sup>26</sup> divinā inspiratione scripta esse fateor, opinor igitur non intellectas quoque partes divinas esse».

5. Crates, philosophus Thebanus observavit quendam iuvenem staturā athleticā conviviis<sup>27</sup> epulisque<sup>27</sup> quotidianis manifeste crassiorem<sup>28</sup> fieri. Ita igitur eum allocutus est: «O iuvenis miserande, omitte tandem carcerem circum te crassiorem efficere!»  
*Andreas Uskert disc. Tatanus.*

<sup>20</sup> műterem = Atelier = atelier    <sup>21</sup> odaság = zuflüstern = souffler    <sup>22</sup> halk = leise = de voix basse    <sup>23</sup> festék-keverő = Farbenreiber = qui pilent les couleurs    <sup>24</sup> nehezen érthető = unverständlich = difficile à comprendre    <sup>25</sup> kíváncsi = neugierig = curieux    <sup>26</sup> felfog = begreifen = comprendre, saisir    <sup>27</sup> eszem-iszom, lakoma = Gastmahl, Schmaus = festin, banquet    <sup>28</sup> kövér = dick = gros

## LECTORIBUS MEDIIS

### De morte Jesu Christi.

Ut in libris sacris legit *Ios Guelmino* Budapestinensis.

Nemo inimicorum Christi dormivit eā nocte Hierosolymis.<sup>1</sup> Concilium iam unā erat cum Caipha pontifice in casa Annae, patris eius. Iesus prius ad Annam ductus est, ut si ab sene rugoso<sup>2</sup> et astuto<sup>3</sup> e responsis Illius aliquid peccati constitueretur, iam reus<sup>4</sup> convictus<sup>5</sup> ad pontificem traheretur. Ad lucem autem quaestio<sup>6</sup> omni modo peragenda erat. Tempus lente labitur. Armati iam diu dimissi sunt duce Iudā Iscariote. Et ecce iam adsunt et iam adstat Iesus ante Annam, inter medios hostes. Captus es tandem, perustrat<sup>7</sup> illum oculis malevolis Annas. Quis te liberabit? Nam quidquid dixeris, morti tuae erit.

«Quid fecisti?» — interrogavit prophanter. Annas, qui ante Caipham pontifex erat Iudaeorum, peritus erat legum. Optime scivit se nunc contra leges facere. Leges scilicet severe vetabant tempore noctis de quoquam quaestionem haberi. Hoc autem nec minimae curae erat ei, quia res ita erat composita, ut ad lucem actio<sup>8</sup> perficeretur, ante meridiem supplicium<sup>9</sup> extorqueretur,<sup>10</sup> ad meridiem crucifixio perageretur et post meridiem ante stellam sabbati corpus de cruce sublatum sepeliretur.

Sed Iesus quoque peritissimus erat legum. Sciebat hanc quaestionem, quae de se haberetur, pro<sup>11</sup> nihilo<sup>11</sup> duci<sup>11</sup> debere non solum ideo, quia nocte, sed de ea causa quoque, quia in casa privata, et post, quia nunc non a pontifice haberetur. Nullo autem intercessit<sup>12</sup> verbo, ne querelā nullitatis<sup>13</sup> defenderetur, quem veritas ipsa defendit. Quietus respondit: «Nihil in occulto. Sunt, qui audiebant et videbant me. interroga eos!»

Annas obmutuit<sup>14</sup> et omnes, qui aderant cum eo. Nam si audirentur<sup>15</sup> ii, quos Ille sanos fecit, responderent illum omnia benefecisse et ita, ut digitus Dei appareret in factis Illius. Homo talis autem laudandus est, non condemnandus. Quapropter servus Annae irā incensus pugno in faciem cecidit illum. Annas autem frustra inquirebat requirebatque et tandem rebus<sup>16</sup> infectis<sup>16</sup> coactus est illum transmittere pontifici. Qui cum accepisset illum, item frustra fatigabat et postremo etiam ipse omisit<sup>17</sup> in illo quidquid peccati quaerere. Alia igitur causa mortis quaerenda erat. Tunc Caiphas ad illum versus: «Cogo te — inquit — dic mihi, si tu sis Christus filius Dei vivi?»

Iesus statim respondit: «Ego sum».

Tum Caiphas: «Audistis blasphemiam!<sup>18</sup> Dignus est mortel!»

<sup>1</sup> Jeruzsálem = Jerusalem = Jérusalem    <sup>2</sup> ráncos (bőrű) = runzelig = ridé    <sup>3</sup> ravasz = schlau = rusé    <sup>4</sup> vádlott = der Angeklagte = accusé    <sup>5</sup> beismerésben lévő = geständig, überführt = ayant fait des aveux    <sup>6</sup> a vizsgálat = Kriminaluntersuchung = enquête    <sup>7</sup> végigmérni = durchmustern = toiser    <sup>8</sup> az eljárás = (gerichtliche) Verhandlung = procédure    <sup>9</sup> halálbüntetés = Todesstrafe = peine capitale    <sup>10</sup> kicsikarni = abnötigen = extorquer    <sup>11</sup> semmisnek tekinteni = für nichtig halten = considérer comme nul    <sup>12</sup> tiltakozni = Einspruch tun = protester    <sup>13</sup> semmiségi panasz = Nichtigkeitsbeschwerde = cause de nullité    <sup>14</sup> meg-némulni = verstummen = se taire, rester muet    <sup>15</sup> kihallgatni = verhören = interroger    <sup>16</sup> elintézetlenül = unverrichteter Sache = sans être venu à bout de ce qu'il s'était proposé    <sup>17</sup> nem folytatni = aufhören = cesser, abandonner    <sup>18</sup> istenkáromlás = Gotteslästerung = blasphème



Christus ante Pilatum (pinxit M. Munkácsy).





8 horas veste<sup>18</sup> caudatā<sup>18</sup> indutum camelo vehi, is tantum intellegere potest, qui ipse interfuit. Et haec omnia multaque alia pro illo tantillo<sup>19</sup> arrisu, pro illa laetitiuncula!

Olim in quadam fabula cum amico carissimo Karry Norman mihi rixandum<sup>20</sup> erat. Cursor<sup>21</sup> ille caesareus, egomet speculator,<sup>22</sup> qui libellos magni momenti ei adimam. Age vero, inita est dimicatio de capite.<sup>23</sup> In pelliculis (vulgo: filmis) Americanis rixae ideo tam verae videntur, quia sunt re vera rixae. Frustra enim rixam tantum simulare actor<sup>24</sup> in animo habet: ut primum nasus ab adversario vere percutitur vel forsitan ipse calce caeditur,<sup>25</sup> obliviscitur ea solum iocum ludumque esse et effervescens<sup>26</sup> etiam ipse re vera ferit. Sic subibit alteri iocorum alter et ecce rixa vera fit. Quod etiam mihi accidit.

Normanum ad lectum affixi isque caput margini lecti illisit (cuius rei nequaquam<sup>27</sup> auctor<sup>27</sup> eram).<sup>27</sup> Irā ille inflammatus impias<sup>28</sup> vocas<sup>28</sup> emittens<sup>28</sup> caligam calcari instructam mihi in alvum impegit.<sup>29</sup> Idque ita, ut calcar haereret bracasque meas rescinderet. Nunc iam etiam ipse irā exarsi; invectus in eum mulcaveram,<sup>30</sup> quidquid corporis attingi potuit. Sugillati<sup>31</sup> ac vultu sanguinolenti eramus seminecesque, cum compositum est proelium, verum quidem, at inutile, cum esset ad<sup>32</sup> fabulam mihi vendendum, econtra in luctamine nostro plagam<sup>33</sup> ingerens capiti meo speciosam — ille vicit. Ergo cunctis incassum<sup>34</sup> actis 14 dies in valetudinario curati iterum ad decertandum coacti sumus. *Finis sequetur.*

<sup>18</sup> frakk = Frack = habit noir <sup>19</sup> egy kis = ein Bißchen = un peu de <sup>20</sup> verekedni = raufen = se battre <sup>21</sup> futár = Kurier = courrier <sup>22</sup> kém = Spion = espion <sup>23</sup> életre-halálra = auf Leben und Tod = à la vie et à la mort <sup>24</sup> színész = Schauspieler = acteur <sup>25</sup> rúgást kap = einen Fußstoß bekommen = recevoir un coup de pied <sup>26</sup> dühbe jön = aufbrausen = se mettre en rage <sup>27</sup> nem tehettem róla = es war nicht meine Schuld = ce n'était pas ma faute <sup>28</sup> káromkodni = fluchen = jurer <sup>29</sup> rúgni = stoßen = donner des coups de pied, botter <sup>30</sup> elpüföl = durchprügeln = rosser <sup>31</sup> kék és zöld foltokkal = braun und blau geschlagen = ayant des bleus sur le corps <sup>32</sup> szerint = gemäß, nach = d'après <sup>33</sup> ütés = Schlag = coup, horion <sup>34</sup> hiába = nutzlos = en vain

## Ver.

*Natura splendida      Hilaris video  
Jam expergiscitur      Violas crescere  
Hiems dur' abiit      Beatus adverto  
Pulcher ver incipit.      Sciurum<sup>1</sup> salire.*


*Campi dulces flores  
Magnifice splendent  
Gemmabunt<sup>2</sup> arbores  
Aves fritinnient.<sup>3</sup>*

M. Georgius Székely disc. Rákócziანი.

<sup>1</sup> mókus = Eichhörnchen = écureuil <sup>2</sup> rügyezni = Knospen hervortreiben = pousser des bourgeons <sup>3</sup> csi-csereg = zwitschern = gazouiller



Germania, quae pace Versalianā imperatā 85.000 chilometrorum quadratorum cum 65 centenis milibus (6,500.000) hominum amiserat, nunc postquam Austria ultro communitatem vitae et fati-



I. Germania Magna. II. Borussia orientalis. 1. Dania, 2. Batavia, 3. Belgium, 4. Luxemburgum, 5. Francogallia, 6. Helvetia, 7. Italia, 8. Iugoslavia, 9. Rumania, 10. Hungaria, 11. Cescoslovacia, 12. Polonia, 13. Lituania, 14. Suecia.

rum cum fratribus Germanicis suscipere voluit, magnitudine secundum Europae imperium est, cuius in territorio 553.000 chm. qu. 75.000.000 incolarum vivunt. Populi<sup>1</sup> scitus<sup>1</sup> die X Apr. cunctis<sup>2</sup> fere suffragiis<sup>2</sup> affirmavit Austriacos intra fines Germaniae vivere malle. Milites Germani novos vicinos: Italos et Jugoslavos et Hungaros in primo<sup>3</sup> suorum finium<sup>3</sup> novorum aditu<sup>3</sup> more militari salutaverunt. In imagine nostra equites Germani duce Rotkirch praefecto urbis Vindobonae et hussari nostri duce Károlyi praefecto alae iuxta Scarbantiam sese in vicem amicaliter salutantes cernuntur.

**In Cescoslovacia** Germani Sudetani, Poloni, Slovaci, Russi Subcarpathici et Hungari autonomiam sibi poscentes statum reipublicae ita mutare optant, ut Helvetiae similis sit.

**Lituani** in bello gentium liberati Polonis usque ad hunc annum irascentes, quia urbem Vilmam a Polonis habitatam non receperunt, Russis instigantibus<sup>4</sup> nullum cum Polonia commercium habebant, quin etiam viam ferratam interruperunt.

<sup>1</sup> népszavazás = Volksabstimmung = plébiscite <sup>2</sup> egyhangúlag = einstimmig = à l'unanimité <sup>3</sup> országhatár = Landesgrenze = frontière <sup>4</sup> uszít = aufwiegen = poussés par

Nunc demum, cum Poloni extremas<sup>5</sup> condiciones<sup>5</sup> imponerent,<sup>5</sup> neque Russi auxilium mittere possent, Litvani in gratiam<sup>6</sup> cum Polonis redire<sup>6</sup> coacti sunt.

In Hispania nationales multis oppidis captis — in quibus est Lerida — tam celeriter Mari Interno appropinquant, ut in dies multi hostium in Franco-galliam transfugiant.

Ad Congressum Eucharisticum non solum ex Anglia aliisque regnis Europae, sed etiam ex



Salutatio militaris (pag. 119).

America ceterisque partibus mundi tot milia hominum in Hungariam venient, ut discipulis vacatione fruentibus<sup>7</sup> hospites minus divites in scholis collocandi sint. Quae cum ita sint, Hungari sperant fore, ut etiam Germani quam plurimi congressui Eucharistico adsint.

Quot Hungari extra Hungariam essent, Sigismundus e baronibus *Perényi* in societate Cobdeniana enumeravit. Praeter Cechoslovaciam, Rumaniam et Iugoslaviam, ubi plus quam 30 centena milia (3,000.000) nostrorum fratrum sine populi scitu nobis adempti<sup>8</sup> vivunt, ceteri paulatim emigrantes hisce in civitatibus habitant: 1,000.000 in Civitatibus Foederatis Americanis, 100.000 in Canada, 80.000 in Brasilia, 60.000 in Germania Magna, 25.000 in Francogallia (in legione peregrinorum<sup>9</sup> 500), etc. Hoc anno, cum dies anniversarius CM mortis primi regis Hungariae Sancti Stephani celebrabitur, in congressu II mundano nostratum societas mundana Hungarorum condetur.

Pictores et sculptores<sup>10</sup> Polonici opera sua in porticu<sup>11</sup> artificiorum<sup>11</sup> Budapestinensi exponentes admirationem omnium spectatorum moverunt. Ex tot pulcherrimis artificiiis picturam *Joannis Matejko* lectoribus hic ostendendam esse putavimus, in qua Stephanus Báthory rex Poloniae princepsque Transsilvaniae legatos Russorum in pugna ad Pskow devictorum pacemque petentium ad colloquium<sup>12</sup> admittit.<sup>12</sup>

Nuntii de amicis «Juventutis». *Otto Schmied* prof. Vindobonensis censor noster aenigmaticus doctissimus nuperrime director gymnasii Grillparzeriani factus est. Idem anthologiam «Cantate latine» inscriptam sub prelo<sup>13</sup> misit.<sup>13</sup> — *Alexius Czuppon* professor Frateriani Miskolciensis «Juventutem» legendam non solum viae<sup>14</sup> et rationi<sup>14</sup> docendi<sup>14</sup> inseruit, sed etiam pensum scholasticum de «Juventute» scribi iussit. — *Iulianus Ágoston dr.* prof. Agriensis Societatem Amicorum Latinitatis Agriensem (breviter: *Salata*) ex lectoribus «Juventutis» condidit, in cuius conventiculis opera<sup>15</sup> «Juventuti» interpretandae daretur.<sup>15</sup>

Fasciculus VI anni XVIII (Febr. 1934) Iuventutis omnino divenditus<sup>16</sup> aut annus XVIII (1933—34) plenus emendi causa quaeritur a Bibliotheca Universitatis Scientiarum Budapestinensi. (IV., Feren-ciek-tere 5.)

<sup>5</sup> vulgo: ultimatium mitterent <sup>6</sup> kibékül = sich versöhnen = se réconcilier <sup>7</sup> mialatt = während = tandisque <sup>8</sup> elszakít vkitől = entreißen = arracher <sup>9</sup> idegen = fremd = étranger <sup>10</sup> szobrász = Bildhauer = sculpteur <sup>11</sup> műcsarnok = Kunsthalle = salon des beaux-arts <sup>12</sup> kihallgatáson fogad = Audienz erteilen = accorder audience <sup>13</sup> sajtó alá bocsát = in Druck geben = faire imprimer <sup>14</sup> tanmenet = Lehrgang = cours <sup>15</sup> foglalkozni = sich beschäftigen = s'occuper <sup>16</sup> elfogyott = vergriffen = épuisé



## RES FEMINEAE.

Lotte.

(2)

Scripsit *Henricus Lenkei*. Latine vertit *Georgius Kaul dr.* Scopensis.

Poeta, cum iam domum versus incederet, ita persecutionem quandam sentire sibi visus est, quasi lupus furibundus eum aggressus esset. Qua offensione animi tantopere correptus est, ut vix scalis escendere posset. Et cum Lotte subridente ore et epulis vespertinis bene praeparatis eum exspectaret, tantum capite illi adnuens difficile offulas<sup>29</sup> quasdam degluttivit.<sup>30</sup> Lotte, postquam animadvertit marito nescioquid accidisse, tandem ex illo quaesivit: «Aegrotasne, Friderice?»

Schillerus non respondit. Id unum aegre ferebat tunc apud Goetheum lautissimas epulas instructas esse splendentibus vasis et pretiosis vestibus et ingeniosis colloquiis, cum ipse candelā<sup>31</sup> sebaceā<sup>31</sup>,

<sup>29</sup> falat = Bissen = bouchée <sup>30</sup> nehezen lenyelni = herunterwürgen = avaler <sup>31</sup> faggyúgyertya = Talglicht = chandelle



cubiculo malā supellectili instructo, uxore quamvis strenuā, parum iucundā tamen, contentus esse deberet. Tacite in sella consedit truci vultu prae se spectans. Quod Lotte non diutius passa adpetitu<sup>32</sup> quodam muliebri rem investigavit: «Goetheine domum praeteristi?»

— Videlicet. Nunc isti sibi<sup>33</sup> salutem<sup>33</sup> propinantes<sup>33</sup> tacite Deo gratias agunt, quod se muneribus cumulaverit!

Iamiam Lotte intellexit, quomodo res se haberet! Et: Multo peius, inquit, nobiscum<sup>34</sup> agi<sup>34</sup> potuit<sup>34</sup>!

Schillerus his verbis perturbatus est. Quomodo id intellegi vellet, obstupefactus interrogavit. Lotte, sicut antea, perrexit: Si tu eadem constitutione corporis natus esses, sed sine ingenio poetae!

Schillerus paulum placato animo: Recte, inquit, dixisti. Tum, ubi plurimum, homuncio<sup>35</sup> sartorius<sup>35</sup> vel sutorius factus essem et nunc sepulcro inornato conditus essem!

Iam Lotte, ut coeperat, perrexit: Et scisne, cur Goetheus te ad convivia vespertina vocare non soleat?

Schillerus magnopere perturbatus interrogavit: Quaenam alia causa, cur ille me posthabeat,<sup>36</sup> esse potest, nisi paupertas mea et species?

At Lotte paululum concusso capite: Erras, Friderice! Goethei animus nunquam movetur facie<sup>37</sup> extrinsecus<sup>37</sup> inductā!<sup>37</sup> Sed non patitur te aliorum miserationem commovere fossis<sup>38</sup> genis tuis et tussi convulsivā. Parcere tibi vult ille homo angelicus et multo pluris te aestimat, quam ut minimam tuam maculam a vulgo vituperari vel illudj<sup>39</sup> pateretur.

Magis magisque serenum factum est os Schilleri. Sed nondum satis contentus instanter rogavit: Et cur nos tam raro coram convenimus?

Lotte etiam ad hoc respondere parata erat: «Quia valde dolet se tali habitu te videre et quia semper cuncta a se removere solet, quae aequitatem animi turbant. Meministine filio eius mortuo vesperi Eckermannum venisse dolorem<sup>40</sup> suum ei declaratum? Tum ille in ea re non diutius moratus est, sed imaginibus<sup>41</sup> chalcographicis,<sup>41</sup> quae nuper advenerant, prolatis indicavit se non diutius de iactura<sup>42</sup> colloqui velle, quamquam morte Augusti totum eius pectus percussum esse certum est. Et cunctis illis lautitiis,<sup>43</sup> illā conviviatorum turbā, quae in sua domo est, ille vult conticescere magnam istam miserationem, quae tristi totius orbis fato in illo movetur.» Subito Schillerus placatus ex sella sua exsiliens laetus exclamavit: Et tam prudentem mulierculam, quam ego habeo, ille tamen suam nominare non potest!


Quod, cum diceret, Lottam complexus est, quae illud colloquium iocose his verbis finivit: Et, mihi crede, si ego eligere potuissem, utrum vestrum maritum habere vellem, licet tot difficultates obstitissent, tamen tua sponsa facta essem.

Quae cum illa dixisset, Schillerus prope mensam scriptoriam consedit, ut summo animi vigore «Demetrium», tragoediam suam, scribere pergeret.

(Finis.)

<sup>32</sup> ösztön = Instinkt = instinct <sup>33</sup> egymás egészségére isznak = sie trinken sich einander Gesundheit zu = boire à la santé l'un de l'autre <sup>34</sup> járhattunk volna = es könnte uns ergehen = nous aurions pu nous en trouver <sup>35</sup> kis szabó = Schneiderlein = petit tailleur

<sup>36</sup> mellöz = hintansetzen = laisser de côté <sup>37</sup> külsőségek = Außerlichkeiten = choses extérieures <sup>38</sup> beesett = eingefallen = creux <sup>39</sup> kigúnyol = dem Spott aussetzen = se moquer <sup>40</sup> részvét = Beileid = condoléance, sympathie <sup>41</sup> rézmetszet = Kupferstich = eau forte, gravure sur cuivre <sup>42</sup> veszteség = Verlust = perte <sup>43</sup> pompázás = Prunksachen = luxe



## Caesarem a Cicerone hospitaliter exceptum esse. (8)

Ad fabulam *Th. Birtii* latine libere tradidit *Aemilius Láng*  
[O. Praem. Keszthelyensis.]

Ventidius fuit mulio<sup>26</sup> ille famosus, qui auctore Caesare nuperrime calceos<sup>27</sup> mutavit.<sup>27</sup> Qui erat homo incultus, ventriosus, totus adeps, labiis tumidis atque demissis, genis neglegenter rasis, qui semper cum servis confabulari assuetus in circulis nobilium more suis<sup>28</sup> saginati<sup>28</sup> tantum grunniebat,<sup>29</sup> cum dominus eius Caesar aliquid salse dixerat. Terentiae molestissimum erat cum monstro hominis, qui praesaepia olebat, ex eodem catino cenare. Accumbentibus a servis allatus est aper in reposito<sup>30</sup> docte impositus, qui suavem spirabat nidorem.<sup>31</sup> Subito accessit scissor, qui aprum ossibus fractis scite laceravit frustaque habili manu composuit. Caesar carnem aprinam ab Arabe, qui ad pedes eius stabat, ministratam digitis tenens: «Hercle, noster Cicero, — inquit, — venator factus aprum confixit.»

— Apros nunquam iaculatus sum, sed eo magis venabar cogitationes.

— Cogitationes? Ain' tu?

— Quod quidem non est mirandum. Etenim ego ipse nullas habeo, quamquam iisdem me sustento, venabar igitur eas in lucis Musarum ad fontem sapientiae Aristotelis et Platonis.

— Aristoteles et Plato, — respondit Brutus, — sunt sancti viri, qui quasi spiritu divino inflati

<sup>26</sup> öszvérhajtó = Maultiertreiber = muletier <sup>27</sup> szenátorrá lett = er wurde senator = devint sénateur <sup>28</sup> hizott disznó = gemästetes Schwein = porc engraisé <sup>29</sup> rőfög = grunzen = grogner. <sup>30</sup> polcos táltartó = Tafelaufsatz in mehrere Etagen abgeteilt = étagère (où se déposaient les divers plats du repas) <sup>31</sup> ételszag = Speisengeruch = fumet

nobis adorandi esse videantur, sancti, sicut fontes Nili.

Ventidius avide cibo se replebat et interdum inarticulatum nescio quid ore hiantem mussitabat.<sup>32</sup> Sed Cicero non potuit contineri, quin diceret: «Irreparabile damnum cepimus eo, quod bibliotheca Graecorum instructissima Alexandriae exusta est.» Oculi nigri Caesaris sub superciliis contractis irā flagrabant. Cicero dicta libenter retractasset. Nam Caesar ipse in acri certamine inter vicos Alexandriae auctor fuit incendii. Cicero igitur sermonem in lubricum delapsus esse sensit. Sed Caesar se celeriter collegit et arrepto poculo perhumaniter dixit: «Propino<sup>33</sup> tibi, Cicero, bene te! Litterae Graecae perierint, sed scriptis tuis renascentur et florebunt! Fac valeas et maneat in nos bene animatus. Spero te mihi non defuturum, neque expectationes tui, quas patriae movisti, decepturum esse».

Quibus ex dictis incredibilem laetitiam percepit Cicero, qui par pari referens: «Nitorem sermonis, — inquit, — et mirabilem rerum perspicuitatem in Commentariis tuis de bello Gallico quis unquam satis pro dignitate laudaverit!»

Tum ex triclinio Mamurra interclamabat: «Qui quidem liber celeberrimus est, attamen mancus;<sup>34</sup> auctor enim oblitus est mei, qui pontem in Rheno flumine fecissem et tormenta adversus Gallos collocassem.»

Caesar, qui huiusmodi licentiam vocis et linguae non attendebat, blanda voce sic perrexit: «Cicero et Caesar ideo tantum sunt, ut alter, quod alteri deest, suppleat. Quaeritur, uter utri anteponendus sit, uter utrum aeterniore gloria superet. Libros scripturus es de officiis hominis atque diis fatoque. Quae dixisti, mecum reputabam. Haec omnia sunt thesauri politioris humanitatis, cui tu idem ipse auctor es. At ego omnia ad usum et utilitatem refero: fines imperii Romanorum propago, colonias condo, rem publicam administro, aedificia publice extruenda curo, fastos corrigo et praesum, si opus est, exercitui. Tu populos imperii nostri tuo ingenio acri alis, tu posteritatem futurorum saeculorum docebis et erudies. Mihi succedent meliores, qui me glorius superabunt, tibi nunquam.»

Hic Ventidius mirans suspexit Caesarem et inanes sonos edidit. Caesar poculo iterum arrepto vix degustavit vinum. Cicero autem iucunditate perfusus: «Feliciter tibi,<sup>35</sup> Caesar, — inquit, — bene vos,<sup>36</sup> dilectissimi hospites!» Simulque poculum uno impetu<sup>37</sup> epotavit. Quae res Terentiae stomachum movit irataeque rubore suffusa est. Nam ambitio viri miseranda erat. Interim puer in manus aquam dedit. Dein apponitur patina intuborum<sup>38</sup> cum ficedulis<sup>39</sup> in orbe dispositis.

Subito clamor et strepitus. Cochlear manu alicuius emissum magno cum crepitu decidit in pavimentum. Eodem puncto temporis irruit ingens canis inter servos terrifico cum latratu. Cicero necopinato clamore tremefactus brachiis sublatis acclamat: «Unde hoc monstrum horribile visu?» Canis caudam movens iam Caesaris manum lambabat, mox autem avide devorare coepit frusta panis adipata mensae subiecta et parum abfuit, quin orbem subverteret. Terentia irā inflammata exsiluit: «Eiicite foras bestiam!»

Caesar compressis dentibus sibilum dedit, quo canem ad se vocavit. Canis extemplo corpus ad pedes domini prostravit. «Quod quidem pessime

fecisti, Mamurra!» — dixit Caesar. — Fac expellas eum foras! Eram<sup>40</sup> nostram carissimam multis precibus obsecramus, ut nobis peccatum ignoscat!»

Mamurra autem iam incaluit vino: «Grafia dis, quod hinc non est crocodilus», — clamabat laetitia elatus. — En canis regius! idem, quem Cleopatra, venustissima reginarum, nostro Caesari dono dedit. — Labris crepabat:<sup>41</sup> Cleopatra, Cleopatra...» Caesar oculos minaces et igne micantes in homine intemperanti fixit, qui — mirum! — statim consiluit canemque quietus eduxit. Cicero, ut cogitationes ab eo, quod accidit, averteret, molestum silentium rupit: «Estne Cleopatra re vera tam pulchra et venusta, ut fama tenet?»

Vox Caesaris mirum in modum vibrabat, acsi suis cogitationibus pasceretur, eisque delectaretur et perfrueretur, cum diceret: «Quid est pulchrum? Odorem rosarum cogito. Si tu naribus duxeris auram halitus rosae plenam, quaerasne, an rosa, quae ibi rubescens dehiscat ac sese pandat, pulchra sit, necne? Ceterum videbis illam, si Romam venerit.»

Brutus, qui huc usque in cogitatione defixus erat, aures arrexit et frontem contraxit. «Quid? reginam Romam esse venturam? Romam fore sedem Cleopatrae?» Aspectus eius interceptum truce Terentiae aspectum, qui dicere videbatur: «Ecce Superbus<sup>42</sup> alter! eum ipsum velle, nefas, regem fieri Romae». Sed Brutus caput quatiebat et mox rursus in somniis haesit.

Interea novum allatum est ferculum cum patina argentea, in qua pavo fuit impositus. Plumae versicolores capitis et cervicis in sublime erecti non fuerunt devulsae, velut si avis viveret; adde, quod gemma cauda in formam ingentis flabelli<sup>43</sup> explicata iucundissimum praebebat spectaculum. Pectus et clunes<sup>44</sup> erudita scissoris manu in frustra scissa ad edendum excitabant. Cicero propter delicatum cibum laudabat uxorem. Ventidius quoque solito clarius locutus est: «Cupedia,<sup>45</sup> vera cupedia!» Quin et Caesar, qui totam domum sibi conciliare in animo habebat, perhumaniter dixit: «Quam lauta vena! Per deos immortales! Vos me hospitio luxuriosissimo atque sumptuosissimo accipitis. Quod quidem, fateor, non sperabam, ego enim in illa semper eram sententia mensam tenuem esse signum verae amicitiae.»

Terentia haud incerta, quid responderet: «Hanc cenam, obsecro te, e regia Cleopatrae venienti nimis modicam fore arbitrabar». Caesar affirmabat reginam esse modestam mulierem, quae frugaliter viveret. «Pavo in nostra villa est saginatus,<sup>46</sup> — perrexit Terentia. — Quae avis mihi semper odiosa erat dignaque, quae caederetur; nam ornamentum

<sup>32</sup> szakállába morog = in den Bart brummen = murmurer dans sa barbe <sup>33</sup> ráköszönt, vkinek egészségségére iszik = zutrinken = trinquer à la santé de qqun

<sup>34</sup> csonka = unvollständig = incomplet <sup>35</sup> áldás rád! = Glück und Heil! = bonne chance! <sup>36</sup> egészségtetekre! = Auf Euer Wohl (prosit)! = à votre santé!

<sup>37</sup> egy hajtásra = in einem Zuge (im Sturz) = d'un trait <sup>38</sup> endivia = Endivie = endive <sup>39</sup> kerti poszáta = Feigendrossel = becfigue <sup>40</sup> úrnő = Herrin = dame

<sup>41</sup> csettint = schmalzen = claquer <sup>42</sup> Tarquinius Superbus <sup>43</sup> legyező = Fächer = éventail <sup>44</sup> hátsócomb = Hinterkeule = pilon <sup>45</sup> finom falat = Leckerbissen = friand morceau <sup>46</sup> hizlalt = gemästet = engraisé


capitis simillimum est insigni regni. *Quem igitur caedi iussi, quod capiti insigne regium haberet impositum.*

Convivium subito conticit. Omnes sensum dīctorum mente comprehenderunt, id tamen agebant, ut non intellexisse viderentur. Cicero vario sermone animos alio transferebat, sed Caesar, qui verba Terentiae in medullas<sup>47</sup> demiserat,<sup>47</sup> se a molestia iam non collegit. Cum carnem pavoninam esurus erat, repente nauseabat.<sup>48</sup> «Rex caesus» — fastidium stomacho movit. Repente exsiluit et foras exiit. Quem Brutus et servi praecipites persecuti sunt. Mutum silentium. Animi expectatione suspensi et attoniti. Haud longa fuit mediū temporis mora et iam aderat vinumque poscebat. Duobus capacibus scyphis<sup>49</sup> uno impetu exhaustis iterum sui compos fuit. Terentiam nec sermone nec visu dignatus est. *(Continuabitur)*

<sup>47</sup> szívére venni = so recht zu Herzen nehmen = avoir le cœur ulcéré <sup>48</sup> rosszul lenni = eine Übelkeit empfinden = être écoeuré <sup>49</sup> serleg = Becher = gobelet

pardus statim praecurrit vertragumque facillime vicit.

<sup>1</sup> birközás = Ringkampf = lutte <sup>2</sup> teljesen = gänzlich = exactement <sup>3</sup> végig bekenni = überall beschmieren = enduire entièrement <sup>4</sup> megmarkolni = anfassen = empognen <sup>5</sup> küzdőtér = Ring = ring <sup>6</sup> tonna = Tonne = tonne <sup>7</sup> iszap = Schlamm = vase <sup>8</sup> ragadós = zäh = gluant <sup>9</sup> sikamlósság = Schlipfrigkeit = glissant <sup>10</sup> négylábú = Vierfüßler = quadrupède <sup>11</sup> agár = Windhund = lévrier



## GEOGRAPHICA.


### Cum pendulo Eötvösiano in finibus Persarum. (2)

Scriptis *Iulius Banai* in Persia. Latine reddidit *Val. Fehér* O. S. B. Ginsiensis.

In illa Persiae regione, ubi laboramus, parallelae sunt designatae sectiones<sup>28</sup> terrae centum fere chilometra longae, spatio inter se decem chilometrorum; secundum has sectiones instrumenta in stationibus singulorum chilometrorum intervallo collocamus, atque signis, quae ibi consecuta sunt, pensatis<sup>29</sup> et comparatis designantur loca, ubi terra in duum fere milium metrorum altitudinem perforatur. Nimirum saepe accidit, ut ad naphtham non perveniatur.


Regio, ubi laboramus, plane vasta atque deserta est. A mense Martio usque ad Novembrem nihil pluviae cadit, et cum simul ad gradum fere 30. geographicae latitudinis, sol tanto fervore<sup>30</sup> atque aestu<sup>30</sup> radios in circuitu diffundit, ut verbi causa in mense Octobri calor circiter ad 50. gradum in

<sup>28</sup> szelvény = Parzelle = section <sup>29</sup> mérlegel = erwägen = apprécier <sup>30</sup> izzó forrótság = glühende Hitze = chaleur ardente



**Luctationis**<sup>1</sup> duo genera nostris temporibus coluntur: genus liberum et genus antiquum. In hoc genere tamen luctatores hodierni non omnino<sup>2</sup> athletas antiquos imitantur, qui nudis corporibus oleo perunctis<sup>3</sup> luctabantur, quo difficilius alter alterum manibus comprehendere<sup>4</sup> posset. Nuper in urbe Sancto Francisco generi libero novitas generi antiquo similis addita est. Sicut in imagine nostra cernitur, in arena palaestrae<sup>5</sup> aliquot millepondia<sup>6</sup> limi<sup>7</sup> densi et glutinosi<sup>8</sup> posita sunt, ubi luctatores propter lubricitatem<sup>9</sup> loci vix stare potuerunt.

**Quadrupedum**<sup>10</sup> leopardus videtur esse velocissimus. In certamine enim cursus in stadio Essexiensi ab Anglis edito, simul vertragus<sup>11</sup> canum velocissimus et leopardus e carcere missi sunt, leo-



thermometro crescat. Herbae pluviosā hieme germinantes<sup>31</sup> — ut gramina, caules,<sup>32</sup> vel arundines et iunci<sup>33</sup> in paludibus — aestate usque ad radicem exuruntur<sup>33</sup>, quas herbas si forte pastores vel homines<sup>34</sup> camelis vecti<sup>35</sup> passim incenderunt, ignes longis flammis flagrantēs celerrime latissimas terras percurreunt. In maximo aestu saepissime atque adeo semper fere sub oculis spectantium fatae morganae<sup>36</sup> subiiciuntur. Summa enim superficies<sup>37</sup> terrae refulgens, quā radii solis plane repercutiuntur, mendax<sup>38</sup> visum spectanti obicit: nempe haud ita procul lacus vel mare esse ibique obscurae incertaeque figurae rerum vel undarum aequore summo<sup>37</sup> repercuti videntur. Qua re oculorum<sup>39</sup> intuitus<sup>39</sup> adeo confunditur atque turbatur, ut sine acu magnetica<sup>40</sup> nemo non facile itinere deerret, propterea quod arbores nusquam nisi in ripis fluviorum crescent, atque casae<sup>41</sup> luteae<sup>41</sup> Arabum inter se sunt ita similes, ut vix quisquam loci situm ac regionem circumspicere<sup>42</sup> possit.

Pars incolarum in officinis oleariae Societatis laborant, alii greges ovium agitant in latissima solitudine, pars fluvios accolit et paludes; in quarum ripis aliquot pagi sunt in iisque casae luto aedificatae, quas homines unā cum animalibus habitant. Qui postquam primae guttae pluviales deciderunt, agros modica latitudine tritico<sup>43</sup> conspergunt et ligneo aratro humum proscindunt.<sup>44</sup> ita fit opus agri colendi. Aristas mense Aprili maturas decerpunt, ex iis grana baculis excutiunt<sup>45</sup> et lapideā molā<sup>46</sup> trusatili<sup>46</sup> molunt, ex farina panes placentae<sup>47</sup> similes coquunt. Iumentorum duo genera habent, asinorum et mulorum; equi et cameli nusquam sunt, nisi in illis pagis, qui a ditioribus civibus incoluntur. Domesticorum animalium duobus generibus utuntur, ovibus et gallinis. Boves buffeli<sup>48</sup> et vaccae raris locis sunt; sus incolis ignota est.

In paucis oppidis cives primitivum opificium<sup>49</sup> et mercaturam exercent. Omnis eorum vita in publico<sup>50</sup> exigitur; scilicet in plateis<sup>50</sup> sunt apertae tabernae et popinae.<sup>51</sup> Cives locupletiores in solaris<sup>52</sup> cauponae sedent et vinum crematum<sup>53</sup> bibentes sonumque grammophoni audientes de negotiis consilia<sup>54</sup> conferunt,<sup>54</sup> cum interea pipas<sup>55</sup> aquarias<sup>55</sup> sugunt. In iis locis paucae sunt viae ferratae, commercium<sup>56</sup> habetur automobilibus; tamen quia nullae sunt viae stratae,<sup>57</sup> pluviam tempestate propter crassum lutum cessat omne commercium.

<sup>31</sup> kihajt = hervorsprossen = pousser <sup>32</sup> kóró = Stengel = fane <sup>33</sup> káka = Binse = jonc <sup>34</sup> kiszárás = ausdorren = être brûlé, séché <sup>35</sup> karaván = Karawane = caravane <sup>36</sup> délibáb = Luftspiegelung = mirage <sup>37</sup> felszín = Oberfläche = surface <sup>38</sup> csalóka = täuschend = fallacieux <sup>39</sup> látás = Sehen = vue <sup>40</sup> iránytű = Kompaß = boussole <sup>41</sup> sárkunyó = Lehmhütte = cabane de boue <sup>42</sup> megfigyel = beobachten = observer <sup>43</sup> búza = Weizen = froment <sup>44</sup> felszánt = pflügen = labourer <sup>45</sup> kiver (csépel) = gsdreschen = battre (le blé) <sup>46</sup> kézimalom = Handmühle = moulin à bras <sup>47</sup> lángos, lepény = Kuchen = aalette <sup>48</sup> bivalye = Büffel = buffle <sup>49</sup> ipar = Industrie = industrie <sup>50</sup> utca = Straße = rue <sup>51</sup> lacikonyha = Garküche = rôtisserie en plein air <sup>52</sup> terrasz = Terrasse = terrasse <sup>53</sup> pálinka = Schnaps = eau de vie <sup>54</sup> megbeszél = besprechen = discuter <sup>55</sup> vízipipa = Wasserpfeife = narghilé <sup>56</sup> közlekedés = Verkehr = trafic <sup>57</sup> műút = Kunststraße = chaussée

## LECTORIBUS MAIORIBUS.

### Vivum Latinum.

1. **Certamen Poeticum Ruspantinum.** A Romana Studiorum Universitate novum indictum est certamen poetum latinum ex legato doctoris Ruspantini institutum. Ad ipsum cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina non minus quinquaginta versibus constent, et ante diem trigesimum mensis Iunii huius anni 1938 ad «Praesidem Facultatis Litterarum et Philosophiae Regiae Studiorum Universitatis — Romae» inscripta perveniant sine nomine auctoris, quod in involucri sigillis obsignato continebitur. In involucri facie inscribetur sententia quaelibet, quae iisdem verbis in fine carminis exprimitur. Praemium victoriae erit summa Italicarum libellarum trium milium et ducentarum quinquaginta.

2. **Lectoribus Anglis.** Viget adhuc in Anglicis collegiis mos Latinos et Graecos versus condendi? Iubentur etiam nunc discipuli in examine selectos locos vestratium poetarum Latinis aut Graecis numeris interpretari? Prodeunt — horum studiorum testes — hoc quoque saeculo nobilissimae syllogae, quales fuere saeculo praeterito: Anthologia Oxoniensis, Sabrinæ corolla, Camus? An etiam apud vos studia humanitatis in dies angustioribus terminis circumscribuntur et versus Latinos et Graecos pangendi ars in desuetudinem abit? Haec si nos, qui in continenti habitamus, aut ipsi aut per magistros vestros docueritis, gratissimum nobis feceritis. Vestra enim res scholastica a re scholastica reliquarum gentium Europaearum prorsus abhorrens nobis magnam partem ignota est. — Valete nec nobis respondere gravati sitis! *Fr. Palata Moravus.*

3. **De idearum classicarum in vitam Britannicam effectu** in aula Universitatis Budapestinensis insignis Hungariae hospes Sir Richard Livingstone, praeses Collegii Oxoniensis «Corpus Christi» scholas habuit, ad quas multi et amplissimi viri convenerunt. Sententiarum ordo hic fere fuit: — Studia litterarum antiquitatis his temporibus quoque magnam in Britannia vim exercent. Quae quidem vis imprimis in litteris Britannicis saeculi XIX percipitur, eadem tamen circulum hominum litteratorum transgressa est. In numero Societatis Studiis Antiquitatis promovendis (Classical Association) triginta novissimis annis praesides ministrorum, cancellarii, ministri, archiepiscopus, praesides academiarum summiq; directores argentariarum erant. Vis ista humanismi praecipue rationi studiorum scholarum mediarum (Public Schools) est attribuenda, ubi nempe vel maxima cura litteris antiquitatis navatur. In Britannia ii, qui in rebus publicis oeconomicisve summis funguntur muneribus, gradus academicos plerumque studiis antiquitatis neque (ut in Hungaria v. gr.) iuris prudentiae vel oeconomiae publicae acquirunt. Oxoniae peculiaris ratio studiorum antiquitatis est evoluta, quippe quae multum abhorret a philologia classica terrae continentis. Duae partes exstant Oxoniae istorum studiorum. Partim litteris Graecis Latinisque navatur opera, partim vis illa indagatur, quam humanismus aetatibus diversis in vitam ac mentem cogitationesque hominum exercebat. Studiosus igitur Oxoniensis minus rerum cognitionis, quam gradus cuiusdam eruditioris humanismi fit compos. Huiusmodi cultus et humanitas effecit, ut in Britannia nobilissima ingenii libertas nasceretur neque illa respublica mere commercialis imperiosaque fieret, quae quidem evolutio post tantam in industria rerum commutationem iusta fuisset. *Julius Kováts dr. Budapestinensis.*

## Librorum recensio.

**Mirko Jelusich: Caesar.** Történelmi regény. Budapest 1936. Grill Károly könyvkiadó vállalata.

Nostris temporibus alii post alios exstiterunt scriptores, qui virorum clarorum vitam et facta non historicorum more modove, sed fabulosae narrationis instar, quo magis legentium animi delenirentur — id quod aetatis nostrae est signum et nota — vigore et venustate descriperunt, ut apud Germanos Aemilius Ludwig, Stephanus Zweig, apud Franco-Gallos André Maurois, apud nostrates Zsolt Harsányi et multi alii. Nuper Mirko Jelusich, scriptor Austriacus vitae Caesaris vivida ne dicam scenica expositione tantam excitavit admirationem, ut brevi tempore in decem linguas conversus sit.

Jelusich Caesaris vitam ex materia historicorum antiquorum lacunosa plenam et integram effecit. Ielusichianus Caesar suci et sanguinis plenus repraesentatur, in praesentia vivere et agere videtur. Quam animantem et spirantem Caesaris pueritiae, de qua vix quaedam memoriae tradita sunt, imaginem apte quaedam affingendo et inveniando expressit! Jelusich in Caesaris animi angulos et latebras sese penitus insinuando cogitationum, consiliorum et sensuum eius exstitit Mommseno acrior indagator. Verum non negaverim eum, cum Caesaris vitam ex longinquo antiquitatis et subobscuri recessu in nostrae aetatis praesentiam protraxisset, nimia vi fingendi et comminiscendi ultra terminum abreptum esse veri similitudinis. Vix enim credibile videtur Caesarem animo omnia consilia, quae eventu post rata facta sint, iam ante praecepisse. Atque Caesarem supra humanas vires potentem finxit. In Cicerone quem cum Caesare colloquentem induxit (p. 413), elevando comtemptissimum, humillimum vanissimum eum faciens adeo sibi non temperavit, ut historiae fidem, plus quam fabulari narratori liceat, obtrectaverit. Quae dissimilitudo inter Jelusich et Ferrero mores et ingenium Caesaris describentes!

Ceterum librum Jelusichii imprimis discipulis legendum censeo, quia res, quas prae nimia et nebulosa temporum longinquitate vix dispiciant, in nostrae aetatis claro lumine collocatas tamquam praesentes vident. In translatione Hungarica, licet mihi liber Germanicus praesto non fuerit, quaedam tamen imprudens falso et ridicule versa deprendi ut: gallius pro gallus (Germanice Gallier); konzularius pro konzulviselt (Germanice: Konzular), Rull-javaslat pro Rullus javaslata (Germanice der Rullische Gesetzesvorlage).

**Dr. Kerényi Károly: Korfu és az Odysseia.** Pannonia-Könyvtár 34. Pécs, 1937. — Carolus Kerényi ad quaestionem, num insula Corcyra sit sedes ac patria Phaeacum, in qua solvenda philologi iam pridem ingenia et sollertiam exercuerant, adgressus novam eius dissolvendae atque adhuc inusitatam capessivit viam. Carolo enim Kerényi maxima pars philologorum etiam nostra aetate eadem, ac olim Alexandrini Homericae poesis explanatores vestigia calcantes verum invenire non potuisse videntur. Is vero ex nova rerum humanarum contemplatione, vel ut ipse ait, ex novo mundi aspectu Odysseam esse tractandam contendit. Quinam est iste novus mundi aspectus? Nempe vitae et mortis tamquam unius eiusdemque inter se connexae sensus, qui in philosophia, quae vocatur,



Porta urbis Teheran in Persia (pag. 124)

existentiali versatur. Carolus Kerényi existimatur Odysseam non esse poema vitae heroicae, quae a morte inevitabili quasi ei opposita disiungatur, sed eius vitae, quam mors assidua atque semper et ubique praesens pertentat.

In Odyssea mundi huiusmodi aspectus priscae antiquitati colonias condenti ignotus esse non poterat. Quemadmodum pericula casuum multiplicium inter scopulos insidiantur, sic in Odyssea ubique post splendorem maris omnia collustrantem et late fulgentem latet huic splendori alterum latus oppositum. Quidnam erat causae, cur Livius Andronicus non Iliada, sed Odysseam in Latinum converteret? Nimirum ea, quod in Italia Odyssea ut inferna, atra et chthonica animo sensa et percepta est. Atque sicut Phaeacum natura et indoles in diversum trahuntur, una parte eis cum reditus in mortalium patriam, tum altera in Fortunatas Insulas patet, ita Corcyra quoque in utramque partem vergit: Graeciam versus e regione vitae vitalis porrigitur, Italiam versus ora eius rupibus horrida assurgit, quae pars insulae instar Tartarorum est.

Corcyra est insula mortalitatis, ubi in vitae laeta abundantia iam mors pollet et viget. Ei, qui ad Corcyrae cautes et saxa in mari nando contendit, mortis plena licet inhorrescant, dulcedine tamen quadam inenarrabili permulcentur. Graeci de rupe candenti desilientes e vitae abundantis laetitia tamquam mente alienatos se vindicare coactos esse putabant.

Haec est fere opinio Caroli Kerényi Corcyram Phaeacum esse sedem demonstrantis, quae quibusdam fortasse nimis audax esse videtur, tamen negari nequit novam antiquitatis investigendae aperuisse viam.

**Mező Ferenc Dr.: A kolozsvári viadaliskola.** Budapest Stephaneum-nyomda Rt., 1937. — Franciscus Mező studiosissimus historiae rerum gymnicarum investigator et peritissimus fata ludi battuentium Claudiopolitani inde a primordiis usque ad finem eius cum accuratissima diligentia, tum iucundissima narratione persecutus est. Cum ludi huius ortus et incrementa, quae postea ceperit, conditori Alexandro Farkas Bölöniensis debeantur, necessario

vitam huius viri excellentissimi uberius exposuit. Ceterum hic vir peregrationis, quam per Angliam, Galliam et Americam susceperat, descriptione cumque esset studiis populoribus addictissimus, clarum sibi nomen peperit, atque libro de peregratione sua pervulgato etiam litteratorum hominum favorem et gratiam assecutus in Academiam scientiarum Hungaricam lectus est. At non solum usque ad obitum ludi battuentium permansit adiutor liberalissimus et innocentissimus, sed cum hoc libello etiam aliorum virorum clarorum Transylvaniae vitae attingantur, memoria lectu dignissima societatis Claudiopolitanae et Transylvaniensis replicatur, quam non modo fautores gymnycorum, sed etiam amatores humani cultus civilisque cum voluptate lecturos dicere ausim.

Car. Ács Budapestinensis.

## De re aenigmatica. (8)


Otto Schmied Vindobonensis.

### Solutiones aenigmatum septimae partis.

40. prosum, postea, puniri, pendeo, pastor, parere, piscis : maiores ; 41. luna, pira, sine, nave, avus, unda, auro : lupus in fabula ; 41. quamdiu, aedilis, olfacis, recurvo, miseris, quamobrem, aedificas, dilacerer, ut sis sons ! 43. lumen, comes, turri, licet, memor, nasci.

Etsi crucigrammatis natura in modo solvendi neque in forma sita est, tamen in hoc ipso genere aenigmatum saepe figurae non sunt minimi momenti. Propter angustias spatii unam tantum figuram proponam :

44. Camelus.



- ad libram: 1. Est usitata praepositio.  
5. Et conseruntur haec in stadio  
11. Quis locis est camelus utilis.  
12. Est nummus commutatis litteris.
- ad perpend: 2. Adiungens est negatio.  
3. Ad summum si ab infimo  
Has legeris tres litteras,  
Mox verbum standi tu invenias.  
4. Et item res apparent,  
Quis milites non ¶ carent.  
6. Quae nota est pro ¶ edidit.  
7. Et, si ¶ revertor, idem fit.

8. Confecta sunt ex hac materia:

Catena, vasa, tela, alia.


9. Camelus facit hoc, si non quiescit.

10. Quis hunc cum ista re conferri nescit?

#### IV.

In aliis generibus aenigmatum partes vocabulorum aenigmaticorum offeruntur, quae tantummodo coniungenda sunt velut in *pensis componendi* aut in aliquot generibus *aenigmatum syllabicorum*.

45. Ad componendum.



Qui potest has reliquias  
In ordinem adducere,  
Huic nobilissimam est fas  
Inscriptionem cernere.

(cf. etiam in Iuv. num. I. aen. 5. !)

Huc spectant etiam pensa ad saltum equulei (vel caballi) aut ad tractum regis solvenda, quae e lusu latrunculorum deducta sunt.

46. Ad saltum equulei.

sanc-	dis-		ho-	tri-
	dic	ae	vi-	
se	tis	te	pa-	spes
nos	mur	tes	bus	hic
le-	ia-	se-	Spar-	dum
qui-	tae	gi-	cen-	ob-

47. Ad tractum regis.

cam-	la	gu-	tit	qua-
pum		un-		tu
qua-	dan-		ni-	trem
pe-	dru-	te	pu-	so-

Aenigmatum syllabicorum notissimum est hoc, in quo ex syllabis ordine alphabetico positos voces secundum sententiam allatam componendae sunt, quod pensum plerumque eo sublevatur, quod vocabulorum primis solis vel primis et ultimis vel aliis litteris certi loci proverbium vel dictum quoddam redditur.

48. Ex syllabis.


a, do, gi, i, map, na, o, or, pa, po, re, ro, rus, ta, ta, ti, tur, va

Ex syllabis his componantur, Quae voces infra indicantur:

1. Quae vox est «seriei» similis.
2. Gravedine vexato utilis.
3. Pro «nare» saepe hoc adhibeo.
4. Consecutiva est coniunctio.
5. Argenti cupidum sic nomino.
6. Est grata sitienti mi.
7. Sed haec est pars vehiculi.

Tum primis, quartis litteris Sententiam tu percipis.

(cf. in «Iuv.» num. III. aen. 3.!) Continuabitur.



Censor aenigmatum: Otto Schmied Vindobonensis.

Solutiones aenigmatum numeri VII.

1. triginta; 2. Peleus, Neleus;
3. niger, piger;
4. mala, amat, lama, atat;
5. Georgicon, Vergilius;
6. Monasterium anno 1683 aedificatum est.

**Aenigmata recte dissolverunt:** I. In Hungaria: Elvira Maklári, Barbara Erdey, Editha Bátor, Irene Lenkei, Mariana Magyar, Maria Petrován (*Theresianum*), Paulus Tolnay (*Scholae Piae*), Ladislaus Keleti, Ludovicus Szöllösy, Petrus Resovszki, Egon Rosner, Georgius Lénárd, Franciscus Maróthy (gymn. *IPEA*), Nicolaus Mayer, Stephanus Székely (*Rákócianum*), Paulus Kristek (*Emericanum*), Olga Kunczer (*Veresianum*), Ioannes Wolkóber (*Madachianum*), Maria Krivoss, Maria Harcz, Maria

Dobbelhof, Martha Kovács, Agnes Szakonyi, Iuditha Angeli, Fedora Dietl, Vera Földváry, Hedviga Gyimesy, Esther Horváth, Gabriella Jantsits, Martha Károlyi, Helena Koltai, Agatha König, Alicia Kühne, Margaretha Lukáts, Erica Palkovics, Margaretha Rózsa, Martha Stein, Aglaea Szemző, Eva Szendrey, Erica Tahy, Magdalena Tittelbach, Christiana Mantel, Valeria Vendl (*Sophianum*), Paulus Kristek (*Emericanum*) *Budapestinenses*. — Carolus Büttner *Strigoniensis* (*Stephaneum*), Iulius Schwarzc *Gyoen-gyoesiensis*, Gabriel Vajda, Emericus Lipsitz *Debrecinenses*, Carolus Ungár, Tiburtius Schmidt, Ludovicus Lenkei, Emericus Tóth, Franciscus Volarik, Nicolaus Simon, Ladislaus Komoróczy, Emericus Ficzer, Tiburtius Iuhász, Titus Sávoly, Ludovicus Markovich, Nicolaus Sávoly, Ludovicus Magassy, Elmarus Karczos, Andreas Pálos, Gabriel Gidáli, Franciscus Horkay, Eugenius Kakuk, Andreas Lénárt, Ladislaus Nyiri, Iulius Oláh, Felix Örs, Franciscus Schubert, Iulius Valent, Gustavus Vongrey, Dionysius Szentgyörgyi, Ladislaus Erdős, Andreas Mihalik *Agrienses* (*Bernardinum*), Alexius Csiszér, Joannes Ágoston, Ioannes Pál, Geyza Diósy, Ludovicus Ginter, Rudolphus Bencze, Carolus Nyitray, Robertus Frankl, Theresia Uzananski, Iosephus Langmár, Adalbertus Huszár, Ladislaus Garbaisz, Ioannes Tóbiás, Geysa Földes, Ioannes Vizi, Zoltanus Kovács, Ioannes Karádi, Iulius Schillinger, Tiberius Balázs, Franciscus Közel, Iosephus Várhegyi, Ioannes Radványi, Iosephus Kovács, Paulus Daby, Iulius Turányi *Matthiaepolitani*, Eleutherius Radó, Ladislaus Bene *Quinqueecclesienses* (*gymn. Soc. Iesu*), Ioannes Skultéty (*Scholae Piae*), Nicolaus Tamás *Szegedinenses*, Ladislaus Kiss, Sara Pákozdy, Martha Seemann, Eva Keresztes *Hajdunasienses*, Andreas Uskert *Tatanus*, Ladislaus Pintér *Sabariensis*. — II. In Germania: Thea Schmied, dr. Guilelmus Fieber *Vindobonenses*, Leo Wiklitzki *Neostadiensis*. — III. In Batavia: Theresia de Haas, Iohanna Timmerman *Harlemenses*, II. classis gymnasii Schiedamensis.

**Praemium sorte Fedorae Dietl, Theresiae de Haas, Olga Kunczer, Sarae Pákozdy, Carolo Büttner, Alexio Csiszér, Francisco Horkay, Egoni Rosner, Stephano Székely, Andreae Uskert, Gabrieli Vajda, II-ae classi gymnasii Schiedamensi obvenit.**

**Liber qui inscribitur «A 10 éves magyar rádió» ab Societate Radiophonica Budapestinensi aenigmata solventibus praemio datus est.**

1. Crucigramma.

1	2	3	4	5	6	7	8
				10			
11	12	13				14	
15	16	17			18		
19		20			21		
22				23			
24				25	26		27
28			29		30	31	
32		33			34	35	
		36				37	
38				39			

ad libram:

1. Ne sis oblitus huius feminae!
5. Sed caput esto hic familiae!
9. Quid aget, qui vult erudire?
11. Pro «nisi» potes invenire.
13. Pro «nasci» hoc adhibeo.
14. Adversans est coniunctio.
15. Est animal domesticum.
17. Sollicitat hoc animum.
18. Dic: cuius est ecclesia?
19. Quid volitat per aëra?
21. Pro «nullus vir» id invenis.
22. Emptoris haec est actio.
23. Quae exstant in pomario.
24. Quid ponitur in umeris?
26. Sic vocant Graeca cantica.
28. Infantibus delicia.
29. Pro «donat» quoque invenis.
31. Haec nota est praenominis.
32. Suffixum participii.
33. Est talis pater meus mi,
35. Vocales sunt hae litterae.
36. Est debitoris: hoc dissolvere.
38. Cui imponebant cuncta onera?
39. Est soror patris illa femina.

Ad perpendiculum:

1. Supellex necessaria.
2. Quem maxime attingunt tui?
3. Nec «sum» est neque «eram, fui».
4. Aestatem ubi perages?
5. Haec poma sunt dulcissima.
6. Sunt litterae vocales tres.
7. Est gemina haec littera.
8. Quae res distinguit homines?
10. Hoc pro «crudelis» repperi,
12. Quid erunt posthac pueri?
14. Praenomen est muliebre.
16. Pro «unā» potes dicere,
18. Quid agit hostis capto oppido?
20. Ad te, heus pertinet haec optio.
21. Pro «nim» hoc invenies.
24. Pro quo et «cuncti» adhibes.
25. Cui litus est finitimum?
27. Dant elephantii hanc materiam.
29. Daturus aliquid sic faciam.
30. Quod pro «secura» potes dicere.
33. Est «sicut» simile vocabulum.\*
34. Sed hoc est forma copulae.
36. Doctoris est abbreviatio.
37. Pro «mihi» saepe hoc adhibeo.

E consilio Eliae Kemenes rectoris sup. regii Budapestinensis

2. Quadratum magicum:

	1.	2.	3.	4.	
1.					A A E E
2.					E G G O
3.					O O R R
4.					R R S S

\* V = U

1. Rusticus me solet colere.
2. «Fero» verbum mi est simile.
3. Graecus deus sum amoris.
4. Multum habeo odoris.

Petrus Hanák disc. Kaposvariensis.


3. Numeris.


1	2	6	1	Est numerale cardinale.
2	7	8	9	Adverbium est temporale.
3	10	8	11	Autumno nobis saepe dantur.
4	3	12	5	In silvis olim necabantur.
5	12	9	1	Pronomen est demonstrativum (Est genus huius masculinum).

Primis indicatur litteris,  
Quibus rebus istud legeris.

O. S.

4.



Quid ui  ispruden  
ispruden  
ispruden

 3E(pice)M

J. W.

Nota: Lectoribus minimis et mediis: 2, 3, 4,  
maioribus: 1.

Terminus solutionum ad moderatorem mittendarum  
dies II mensis Maii.



Corrigenda numeri 7 (Mart.): pag. 100, pro: «conscientia amici», lege: conscientia animi.

V. Gombár, P. Hanák. Gratulatione vestra humanissima gratiam apud me iniistis maximam. — H. Timmermann, Th. de Haas. Alias mittite solutiones in eodem epistulae involucro sumptibus comparcendi causa. — Classis II Schiedamensis. Iucundissima erit vita Rembrandtii, quae etiam in cinemate omnibus placuit. — Animum poetarum et sociorum versiculos scribentium ad conditiones certaminis poetici (pag. 124.) advertimus. — Em. Markó, I. Ehrenfeld, Aur. Csathó, Lad. Iavorik, G. Szekeley, Franc. Solc. Carmina vestra accepi. Maluissem scripta soluta oratione accipere, quia mendas metricas corrigere difficile est. Quare patientia utamini. — E. Laczák, M. Papp, M. Bervin, T. Valday. Diligentiam vestram laudo. Carmina popularia a vobis missa non omnia cum melodia edere possum, quia notae musicae valde sumptuosae sunt. — Ios. Irsik, V. Bors, St. Boross, Lad. Mesko, Fr. Palata, Avenarius. Carissimi collegae et socii! Utinam omnia vestra carmina multo celerius edere possem. Nam vera carminibus inunod, quamquam discipuli libentius legunt narrationes, res iocosas et alia talia. Mense Maio hymnus Eucharisticus publicabitur. — De opusculis cultorum «Musae pedestris» proxime referam.

Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum. — A Katolikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)